

teres, et in cibis miraberis sapes; et tantundem numero nucleorum doliolo referetur.

XI. Vt dulcia de melle diu durent: accipies quod 1 (14)
Graeci dicunt cnecon et facies farinam et admisces cum 4
melle eo tempore quo dulcia facturus es. Vt mel malum 2 (15)
bonum facias: mel malum bonum facies ad vendendum,
unam partem mali et duas boni si simul miscueris. Mel 3 (16)
corruptum ut probes: helenium infundes in melle et
incende: si incorruptum est, lucet. 9

XII. Vvae ut diu serventur: accipies uvas de vite 1 (17)
inlaesas, et aquam pluvialem ad tertias decoques, et mittis
in vas, in quo et uvas mittis. vas picari et gypsari facies,
et in locum frigidum, ubi sol accessum non habet, reponi
facies, et, quando volueris, uvas virides invenies. et ipsam
aquam pro hydromelli aegris dabis. et si in hordeo obruas, 15
inlaesas invenies. Vt mala et mala granata diu du- 2 (18)
rent: in calidam ferventem merge, et statim leva et sus-
pende. Vt mala Cydonia diu serventur: eligis 3 (19)
mala sine vitio cum ramulis et foliis, et condes in vas, et 19
suffundes mel et defritum; diu servabis. Ficum recen- 4 (20)
tem, mala, pruna, pira, cerasia ut diu serves:
omnia cum peciolis diligenter legito et in melle ponito, ne